



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. In secunda Synodo, Legati sedis Romanæ non adfuerunt. Ea synodus relationem ad Romanam Ecclesiam totiusque Occidentis Synodum misit de rebus à se gestis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

legatio, quæ Metropolitæ & Patriarchis præesse debebat, duobus Presbyteris sine Episcopo, qui caput esset legationis, imponeretur. Si quis opponat epistolæ synodice Concilij subscripsisse Episcopos ordine, *Osius ab Hispania, Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum, Protogenes Sardicæ*, unde colligi videatur solos Archidamum & Philoxenum legationis munere ornatos, respondendum mihi videtur id factum eodem consilio quo Flavianus Philippensium in Macedonia Episcopus sententiæ à Synodo Ephesina latæ adversus Nestorium subscripsit, nulla mentione facta legationis quam à Rufo Thessalonicensi Episcopo & à synodo Illyriciana susceperat: *Flavianus Philippensium Episcopus unâ cum sancta synodo decernens subscripsit*. At qui actione prima Concilij Flavianus dicitur vices gessisse Rufi Thessalonicensium Episcopi, qui morbo detentus, ad synodum accedere non potuerat.

II. Scilicet eum ordinem servabant patres, ut Episcopi legationis suæ literas proferrent in ipso Concilij exordio; unde constare poterat an suo tantum vel etiam alieno nomine sententiam ferrent. quod in Acta referebatur; quemadmodum superius adnotavimus ex Concilio Carthaginensi, & nunc ex Concilio Ephesino. Deinde suo tantum nomine subscribebant, minus sollicitos se de legatione imposita præstantes, quia jure proprio suffragium ferre sibi liberum esse dicebant. Hunc ordinem tenuit Osius: qui veteris legationis jure fretus, quæ fortasse renovata erat à Iulio, satis habuit nomen proprium inscribere; de cujus munere aliunde constabat. At verò Archidamus & Philoxenus Presbyteri, quibus nulla ratio suffragabatur alia, præter legationem, cur synodo interessent, Iulij nomine subscripserunt. Ceterum, quàm alienus esset Osius à minuenda sedis apostolicæ dignitate & auctoritate, inde constat manifestissimè, quòd eo referente, in hoc ipso Sardicensi Concilio de appellationibus dejectorum Episcoporum ad Episcopum Romanum ex tota Ecclesia deferendis, & de Legatis ad judicia retractanda mittendis, sancitum est, eoque subscribente patres Concilij omnia negotia ad sedem apostolicam tanquam ad caput Ecclesiarum referenda esse professi sunt. Itaque ex Osij scriptis de Osij gestis judicium feratur, & de læsa apostolicæ sedis dignitate illius acerrimus vindex nullo modo periclitabitur.

III. Cùm Synodus secunda Oecumenica, ex solis Orientis Episcopis conflata, nullis ornata fuerit Romanæ Ecclesiæ Legatis, non est quòd de eorum confesso disputemus. Relatione ad Romanam Ecclesiam totiús-

que Occidentis synodum facta, atque mutuo Orientis & Occidentis consensu, Macedonij hæresis ceteraque pravorum dogmatum pestes extinctæ sunt, & Concilium illud Oecumenici auctoritate per universam Ecclesiam celebratum est.

IV. In tertia Synodo Oecumenica seu Ephesina extat splendidissima legationis exemplum. Cyrillus Alexandrinus vices agens Celestini, tresque alij sibi adjuncti Legati à Celestino ad synodum missi, huic ornatissimo Concilio præfuerunt. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus admissa societate quadam naturæ divinæ in Christo, personæ unitatem perfidè inficiabatur. Ea de re monitus à Cyrillo, eò prorupit audacia, ut Romanis auribus hanc blasphemiam ingereret. Disputatione tota ad Celestinum delata, ille Concilium Romanum contrahit, Nestoriumque universalis Ecclesiæ communiōne multat, nisi intra decem dies à die conventionis numerandos scripto sacrilegam novitatem condemnet. Sed quia præsentiam suam necessariam videbat Celestinus ad sententiæ executionem, ob gratiam qua Nestorius apud aulicos flagrabat, vices suas Cyrillo Alexandrino delegavit. *Et quia nostra*, inquit ille, *in tanto negotio propemodum præsentia necessaria videbatur, vicem nostram propter marina & terrena spatia ipsi sancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste longitudo occasione grassetur*. Ad ipsum verò Cyrillum literis datis, non solum vicem suam illi, sed etiam locum, & sedis suæ auctoritatem mandavit: *Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostræque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi, non absque exquisita severitate, sententiam exequaris*. Hanc legationem Cyrillus avidè arripuit, ut majori pondere Nestorium dejiceret, & perfidiam sacrilegam ulcisceretur. Itaque synodo Ægyptiacæ Dioceseos Alexandria coacta, ex ejus sententia Nestorium per epistolam synodicam contestatur, unâ cum Synodo Romana cui Celestinus præfuit, ut juxta tempus à Pontifice definitum resipisceret. Ipsa quoque synodus Ephesina Celestinum vices suas Cyrillo commississe docuit in relatione ad Imperatores.

V. Ista quidem urunt Novatores. Sed excipiunt vices suas mandasse Cyrillo Pontificem ante coactam synodum Ephesinam. Verum illà à Theodosio indictâ, coactam quoque Romæ à Celestino alteram synodum Occidentalium Episcoporum, in qua, priore contra Nestorium confirmato decreto, alias literas ad synodum Ephesinam Celestinus dedit per Arcadium & Projectum Episcopos & Philippum Presbyterum, qui ejus præsentiam supplerent, *αἱ ἀπὸ τοῦ πᾶσι τῶν πατρῶν*

e. 3. Concil. Sardic.

Epist. synod. Concilij Sardic. ad Iulianum.

Vide infra cap. 20. Iulius libel. 8. & cap. 21. §. 11.

Cyillus ep. ad Romanos.

Celestinus ep. ad Ciriacum & Pappum.

Ep. synod. Concilij ad Imperatorem Theodosium.